Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



fecit scelera multa dicens de bonis predicatoribus. Sed tamen in
passione fugientibus proximi mei alonge steterunt. dicens de
cunctis ualde formidantibus. percutiam pastorem et dispergentur oues
55 gregis. Sequitur. Tunc surrexit iob. et scidit uestimenta sua. Ru
ente domo. extinctis filiis iob surrexit. quia iudea in infide-
litate perdita predicatoribus in pauoris morte cadentibus redemptor
humani generis quanto iudicio persecutores suos deseruerit. de
monstrauit. Surgere quippe eius est. qua districtione peccatores
derelinquat ostendere. Surgit ergo. cum contra reprobos iudicium ius-
ticie exerit. Unde et recte uestimenta scidisse perhibetur. Quid enim
uestimentum domini. nisi sinagoga extitit. que prophetis predicantibus. ex-
pectationi incarnationis illius adhesit. Sic enim his nunc uestitur.
a quibus diligitur. Paulo attestante qui ait. ut exhiberet sibi glo
riosam ecclesiam. non habentem maculam aut rugam. que enim
maculam aut rugam non habere dicitur. profecto uestis rationalis.
et per actionem munda. et per spem tensa monstratur. ita cum in
carnandum eum iudea credidit. adherendo nichilominus uestis
fuit. Sed quia expectatus uenit. ueniens noua docuit. docens
mira exercuit. mira faciens. praua tolerauit. uestem qua indu
tus fuit scidit. dum in iudea alios ab infidelitate sustulit.
alios in infidelitate reliquit. Quid est ergo uestis scissa. nisi iu
dea in contrariis sententiis diuisa. Si enim uestis eius scissa non esset.